

16.)

1978

M

434









EPITHALAMIA

Consultissimo

Dn. L.

JOHANNI CASPARO

Großgebauer Præfect. Themar.

ET

Pudicissima Virgini

ANNÆ MARIE Strauffin/

Consecrata

à

Cognatis, amicis & fautoribus,

d. 5. Octobr. Anno 1629.

SCHLEUSINGÆ

Excusa à Thoma Marckart.

13





JOHANNI CASPARO

Professore Præf. Theol.

Kapsel 78 M. 4³ 4

ANNE MARIE

(16)

Cognatis, amicis & familiaribus


in A. anno 1784

SOEHRINGE

Exuls à Thoma Marckart



VOTA NUPTIALIA.



Laudite Pierides, Charites, nunc plaudite,
Nymphæ,

Et queiscunq; aliis est sacra teda Deis.

Tendite MEININGAM Charites, Venus,
ite Camœnæ,

Ite Deæ, nec non casta juvate sacra.

MEININGÆ decet, en, tedas celebrare jugales,
Jure tori Sponsus quas modò ritè parat.

Pronuba Juno feras tua vincula, mitis Apollo
Quæ dones Sponso, munera digna feras.

Nec te Phœbe nega comitem, telisq; relictis
Et pharetra Æoliis, finge melos fidibus.

Divino resonet sacratum carmine templum,
Sic eat hæc pulchrâ luce serena dies.

Quâ festis Sponsus cum Sponsa sistitur aris,
Castaq; conjugii vincula nectit amor.

Onimiùm velis Juveni fortuna secundis
Affluit in superos cui pia virgo venit:

Qualis, Sponse, sacras tibi sistitur uxor ad aras,
Qualis in thalamos ANNA MARIA tuos.

Eloquar, an taceam, quæ sit moderatio vitæ,
Conveniens ut habent singula membra decus?

Fronte gerit duplices sectantia lumina gemmas,
Frons ea laudatæ virginis esse solet:

Ingenuusq; color fallaci haud fictus ab arte,
Insidet in vultu, purpureisq; genis.

Mira supercilium commendat gratia blandum,
Et Venus in reliquo corpore læta viget.

Quidvè minora sequar cum me majora fatigent,
Viribus & quæ sunt uberiora meis!

A 2

Sponse,

Sponse, puella patris doctiq; boniq; propago
 Ingreditur felix ANNA MARIA torum.
Inspice Sponse latus, costam cognosce reductam ”
 In medio lateris, quæ fuit orta loco! ”
Casta puella quidem, casto quoq; digna marito,
 Quæ mihi dulcisonâ digna canenda chely.
Nec tua, Sponse, tibi desunt encomia, laudem
 Unam cum Sponsa hac integritatis habes.
Te jam vestra manet Respublica præside sospes,
 Consilio regitur publica cura tuo.
Ingenium cives solers mirantur & artem,
 Quando facis pleno verba diserta foro.
Jungitur, en, tibi vir clarus nunc ANNA MARIA,
 Artibus excultus, moribus atq; gravis.
Quis numerare potest tenui celeberrima plectro
 Lumina cuncta suo, carmine sive brevi?
Undenis pedibus sed quod comprehendere tento,
 Dicere nunc modica perge Thalia chely.
Sponsa bono hoc fueras digna ANNA MARIA marito,
 Ingenuâ & Sponsus conjuge dignus erat.
O par conveniens, flori flos ipse juventæ
 Jungitur, & juvenes mens juvenilis amat.
Sic vites ulmis, sic blanda columba columbo
 Convenit & parili bos ad aratra bovi.
O vos felices, ô terq; quaterq; beatos,
 O vestri verè fœdera fausta tori!
Hunc tibi Sponsa torum nova gratulor, hunc tibi Sponsum
 Gratulor & fausto fœdera pacta Jove,
Vivite amore pares, nunc molli vivite fato,
 Vestros, velle idem, idem nolle, ligent animos.
O quam felicem cui talis contigit uxor, ”
 Cui sine lite torus, cui sine lite domus! ”

Cum

Cum dabit amplexus, atq; oscula dulcia figet, ”
 Concipiat flammæ ignis uterq; novi.
 Blanda, viro curas & tædia fœmina pellit ”
 Aspera bella viris seditiosa movet! ”
 Sit soboles vestro numerosaq; corpore tristem,
 Quæ relevet matrem, quæ relevetq; patrem.
 Sponsaq; sit viti similis, quæ fulciat, ornet,
 Impleat & totam fertilitate domum.
 Sicut oliva suos justo fert tempore fructus,
 Exornet mensam sic quoq; prole tuam.
 Vivite longævus felices Nestoris annos,
 Et post hanc vitam regna subite poli.

Georgius Graman. D. Medicus Saxo-
 Henneberg. Ordinarius.



Johannes Casparus Grosgebauerus J.C.

κατ' ἀνάγκη

Sponsa, egregia rosa: huic nubēs carus.

ALBACAS tenuis hac rosulas tibi LEUCORIS alma,
 MARPURGUMq; tulit nobile LANIACAS!
 Ast ibi nulla fuit, quæ suffecisset abunde,
 Flammæ occultas alleviare tuas,
 HENNENBERGIADUM MEININGA Cathedra Themistos,
 Quæ benè quadraret, sola reperta fuit.
 Vernat ibi generosa ROSA, EGREGIA illa Dione,
 SPONSA vel in thalamum digna venire Jovis.
 HUIC CARUS NUBES, nebulas, nubesq; nocivas
 Curarum hæc penitens pectore disjiciet.
 Pro viridi Lauru è Myrto rosulisq; corollam
 Promit, & obnubit tempora temporibus,
 Quod si vis Laurum, nec VVitteberga recusat,
 Quæ sit, scit, genii vis animosa tui.

A 3

Multi-

*Multiplīci tibi flore rosas ubi Cynthia sese
Mutabit novies hæc Rosa parturiat.
Ne lolium & spinæ crescant, Venus aurea planter
Lilium amoriferum, proliferamq; rosam.*

Honoris & affinit. ergò pos.

*Johan. Mercker D. Saltzunga,
Med. Sax.*


MEININGÆ natus, cœlorum inscriptus & ALBO
Noster, quem SPONSUM lux hodierna videt:
In KALTEN-NORDHEIM viridi sed doctus ab ævo
Indole præclarâ cœpit amare Scholas:
Donec SCHLEUSINGAM missus fundamina jecit
Gnarè ἐν παιδείας, non sine fruge, κύκλω.
Sidere felici philyréis appulit oris,
Adq; τὸ grande σοφὸς continuavit iter.
Spe plenus tandem Albiacas concessit Athenas.
Leucoreonices quanta brabéia tulit?
CHATTORUM ut lustret prytanéa insignia porrò,
Ad Famæ Templum traxit amor Themidos.
Merxq; bona Emtorem quoniam facilè invenit, Ellum,
Urbs THEMARÆ haud temerè suspicit atq; colit
Præfectum: Sed ne glaciali tempore solus
Secubet, ADJUNCTUM quæsiit officii.
Ergò iterum de Te benè patria, SPONSE, mereri
Pergit, & ad Werrham neçtere ferta parat.
Ac velut infanti cunas calefecerat olim:
Sic mollem sternit læta MENINGA Torum.
Ingredere, ingredere: ò tibi Saxo - Hennberga favescit
Omnis, & in laudes gestiit ire tuas.
Quàm benè conveniunt, Benè nasci & nubere! Divos
Inter & Heróas tempori obire senem?

Gratu-

Gratulor hanc sortem Tibi, JAN-CASPARE, sed opto
Insuper & thalamis candida fata tuis.
Quam pietas hodiè ac reverentia Numinis unit
Arde STRAUSIACAM nocte dieq; Tuam.
Et benè cum costà florescè, vigesce, senesce
In septemgeminâ prole triseclis. Amen.

Gratulabundus ad Feldam scripsi

M. Joh. Friderich Past. & De-
canus in R. Northeimb.



HActenus, Affinis, geminata volumina juris
Volvisti studio, Leucoris alma probat:
Quæ tibi Doctoris Magnos decrevit honores,
Atq; LICENTIA ibi jam tibi facta Dices.
Fungeris officio magno (Toto de pectore grator,
Judicio tollens jurgia multa tuo.
His rogo cur nolis contentus honoribus esse,
Inq; bonis tantis quid tibi quaeso deest?
Imò deest aliud reliquis præstantius unum,
Quo DEUS utendum censuit esse bono.
Adjutrix vitæ, curarum dulce levamen,
Noctes atq; dies unica fida comes.
En quod quæris habes, CHRISTO Duce & Auspice CHRISTO
Ducitur in thalamum Sponsa petita tuum.
Hac fruerè, hac longos benè delectare per annos,
Mutuus ut nullo tempore cesset amor.
Tristia junguntur letis, miscentur amara
Dulcibus, ut nil sit quàm ANNA MARIA thorus.
Sed qui mutavit vino Galileida Lympham
Quamlibet is dulcem reddet amaritiem.

M. Georgius Ernestus Schadius,
Ecclesiæ Meining. Pastor.
Sedulus

Sedulus an Juris cultor queat esse Maritus,
 Est pars negans, pars est, id asserens:
 Quæ negat, adducit sinuosa volumina Legum,
 Noctu legenda, quæ, ac interdium;
 Affirmans promit *θεοπνεύς* dogmata Verbi,
 Quod cuilibet suam dat Sponsulam.
 Utri igitur credam? magni res ponderis illa?
 Causas habet suas pars quælibet?
 Diversas, audi, mihi mens componere partes,
 Et alterum sistam me Apollinem:
LUX tractare **F**O **R**O mandat tibi Jura diurna:
 Tractare **N**O **X** Sponsam jubet in **T**O **R**O.
 Impiger invigilans monitis his, Arte peritus
JU **R**I **S** manens, maritus Marte eris.
 Ergò, **J**A **N**-**C**A **S**P **A**R **E**, tibi precor optima, *Sponse*,
AN **N**Æ-**M**A **R**I **Æ** & *Sponse* blandulæ:
 Invidus hinc cedat zelus, procul exulet atrox
ER **I**S, ast **E**R **O**S vos bellè mulceat.

*Moris & amoris ergò ita jocando
 gratulabatur*

Joh. Corvinus Westensfeldens.P.

Ἰεῦ δίδωμι

Anno ætatis 69.

Ministerii autem 41.



Communis vulgi sermo est, *Doctisq; probatus:*
 Major avis magnum nidum caveamq; requirit;
Inter contentum, & quod continet, atq; locatum
Inter, itemq; locum quò sit proportio justa,
 Hinc benè colligimus, quantum sibi *Struthio* nidum
 Postulet, inter aves quæ maxima dicitur esse.

Certè



Certè haud vulgari, aut caveâ, contenta minore est,
 Sed spaciosa satis, permagnaq; convenit ipsi.
 Haectenus id liquidò vel mirabunda Meninga
 Nostra observavit. Virtutis Struthio magna,
 Egregia forma, castiq; pudoris ibidem
 Est conspecta diu, volitans sine compare sola.
 Nominis haud minimi fuit auceps unus & alter,
 Insidias qui struxit ei, qui sepe tetendit
 Rete suum, cupidè cavea inclusurus eandem.
 Verùm nec quicquam: Renuit quia nobilis ales.
 Est angusta nimis Cavea haec tua, dixit, in illa
 Non ego claudor avis majoris sortis & ortus:
 Quae me contineat domus, hâc sit major oportet.
 Quorsum spectârit, quod & expectaverit illa
 Aptumq; & magè conveniens, aviarium, abundè
 Jam docet eventus. Tu scilicet Ample Sacerdos
 Mystaq; Juris eras cavea illa perampla, secundum
 Nomen Großgbawer; Magnæ huic includier optat
 Struthio suavis avis Cavæ, quin involat ultrò,
 Aucupis ad preculas, quem sic fortuna beavit.
 Sit fortunatus, faustusq; sit ille volatus!
 In caveâ hac pia sit benè custodita volucris,
 Et valeat, vivatq; diu, pariatq;, quotannis
 Impleat & nidum pullo foecunda tenello!

M. Michaël Bieber / Pastor
 Marisfeldensis.

Magna fuit quondam thalami reverentia Sancti,
 Inq; suo precio tæda jugalis erat.
 Atqui qui nunc sunt mores, quæ tempora, dicunt:
 Conjugio nullum insuavius esse jugum.
 Grunniat hoc, quisquis non pollet mente ferente,
 Quiq; Deo nullâ fidere sorte valet.

B

Sed

Sed patiens, pollensq; fide viridante fatetur:

Conjugio nullum suavius esse jugum.

Væ soli! Quis enim soli succurret egenti?

Væ mihi, si labor, multus eritq; labor!

Currite, currite veloces, succurrite lapso!

Me, clamat cœlebs, deseruere mei!

Rebus in angustiis succurrit amicus amico;

Promptius auxilium fœmina, virq; feret.

Sir. 41, 23.

O ergò bis, ter felix, quater atq; beatus,

JAN-CASPARE, jugum cui benè suave placet!

Quid nî felicem, quem Spiritus ipse beatum

Sanctus ait, dicant astipulando pii?

Felix, quem cingunt exempla tot inclyta Regum,

Et Patriarcharum, Fatidiciq; Chori!

Felix, quem series Majorum præiit ampla,

Indeq; te Gnatum qui genuere suum!

Altera quàm, dicam, te linea macta beatum

Prædicat, è Sponsæ intellige parte novæ!

Vin' laudem Socerum tectum nigricantibus umbris?

Vin' vel Avorum præconia laudis agam?

Vin' Propatrem (dignum meliori Nomine) laudem!

Vin' Socrum? Sponsam? Næ muliebri decus!

Vis, non vis. Volo, nolo. Volo; præconia laudis

Plurima debentur. Nolo, quod his ego non;

His ego non sum par; Tu par Gener, Æmulus, Hæres,

Præfectus, Sponsus, dignus honore Nepos.

Non es sub - sed Præfectus lictoribus, atq;

Qui cum blanditiis munera ferre solent.

Ceu benè cœpisti (*laudant*) non Censilis instar

Gallinæ, sed at ut Gallus alacris ovas.

Ergò

Ergò age , qui vir sis, fortis Patris æmula proles;
Felix in thalamis, officioq; gravis.
Perge bonis avibus , thalamum feliciter intres,
Atq; fori fasces sorte favente tene.
Altiùs ascendas; Sponsæ dulcedine, multâ
Cum bini sexus prole beatus oves.
Donec dextrarum rerum satur, atq; dierum,
Culmina conscendas non ruitura poli.

Daniel Schlett P. F. F.



Conjugium , vitam , felicia funera , cælum
Optat Tû Frater , nunc tua festa cotens.


Johann - Michaël Großgebur
in Frauen-Breitungen.



UT celebres fausto, Vir Consultissime , tædas,
Multa tribus verbis cordicitusq; precor :

^{1.} **GRATIA** ^{2.} **CONCORDIA**, ^{3.} **NATI** “
Natorum vobis multiplicentur, Amen. “

Samuel Zehner, Verbi Di-
vini Minist. ib.



Omne trinum perfectum.

Ter-felix triplici de Jure es , **S P O N S E**, vocandus;
Munus enim trinum fert tibi trinus honos.
Primum Diva **T H E M I S**, Divus Tibi Saxo **Secundum**,
Tertium at in thalamum nunc **D E L L S** ipse dedit.
Munere de triplici, ac triplici tibi **G R A T O R** honore!
Imò, ut **Ter-felix** sis maneatq; precor !

M. Samuel Sinc̄ Eccl. Mein. Diac.


B 2

Carmina

CArmina si veniunt animo deducta sereno,
Si defecatae sunt ea mentis opus;
Ipse equidem jam sum fundendis versibus impar,
Venaq; si qua mihi est, aruit illa malis.
Qui viduam viduus cogor modò cernere Gnatam,
Jacturam DOMINO conduplicante meam.
Attamen hoc unum reliquum est, didicisse carendo,
Integri thalami quanta sit utilitas.
Quæ postquam obtingit Tibi, Vir amplissime, largo
Munere, qui nutu dirigit omne DEI:
Gratulor ex animo, tuaq; hæc nova gaudia Sponsi,
Devotè, ut durent secula longa, precor.
Et quia Costa tua est Nepti Commater amanda
Sis eidem mecum *Compater* ipse, rogo.

Pro declarando pio affectu addebat

M. Jacobus Sorger ill. Scho-
læ Schleus. Rector.



Scilicet hæc res est, DEUS huic dat, & abripit illi
Officium, Nutus pro ratione sui.
Judiciumq; Dei sensus fugit intima nostri,
Nec, quis scrutari possit, in orbe datur.
Nolle Deum, certum est, virtutes esse sub umbra,
Sed tandem in lucem non sine laude vehit.
Exemplum, Præfecte, bonum es mihi, quando Jehovah
Nunc fulget summi gratior aura Tibi.
Diceris officii Præfectus ab arte disertus,
Mox quoq; dicèris Sponsus ab ore bonus.
Jova Panomphaeus, penes est quem muneris omnis
Functio, sic caros orbe beare solet.
Sic mea discipulo Tibi mens præfaga boni olim
Prædixit, Schleusæ ut fidus alumnus eras.

Vera,

Vera, vides nunc, Te Recitasse tenaciter olim:
Et, nisi certanti, gloria nulla venit.
Hinc Tibi Mercurii gratam Facundia Suadam,
Aonias Phœbus contulit almus opes,
Quæ præstat cunctis opibus, Sapientiam Athena,
Judicium felix consiliumq; Themis.
Ensifer hinc meritos defert ELECTOR honores,
Quis fasces Themaræ nunc Deus addit agris.
Quid Gottvvaldus ego faciam nunc? candidus addo,
Præfectus longæ hic tempora lucis agat.
Huic Deus officii successum prosperet, ipsi
Difficile impositi nec sit honoris onus.
Te tua, Prosapiam Generis quæ Strauffidos ornat,
Florida floridulâ prole Marita beet.
Hanc ubi rettulerit roseis Matuta quadrigis
Lucem, addam ad cunas carmina fausta novas
Nec metuas Sponse primi male Nominis omen,
Convenit haud semper Nomen amara rei.
Nomen amara quidem, sed tantum Nomen, amari
Intus nil alit, at mellea labra fovet.
Mellea mellitis liba modò basia labris,
ANNA MARIA Tibi MANNA futura viro.
Opto hæc cordetenus: quid enim non gratuler, uni
Cui bona contulerit Gratia tanta Dei!
Macte hac sorte! dedit Tibi quæ VViteberga brabeja,
Augeat hæc miris patria terra modis.
Vive mee Patriæ felixq; diuq; superstes,
Sponsa sub imperio vivat & apta tuo.

M. Matthæus Gottvvalde
Scholæ Meining. p. t.
Rector.

B 3

Connu-

Connubium summo fieri mittente Jehova,
Comprobat exemplo Sponsus id ipse suo:
Oris is multas peregrinis vidit ocellis
Non tamen est, dicit, quæ mihi perplaceat,
Sola Menunga dedit, radiis quæ pectora nostra,
Illustret veluti stellula clara poli.
Hæc *χαρίτι* & stella ad multas ut Nestoris annos
Irradiet Sponsi pectora, *Pansa* precor.

Ita gratulabundus jam dictus

*M. VVolfgangus Pansa, Themar.
Scholæ patriæ Rector ap.*



Ut mea vota tuis quoq, Consultissime Sponse,
Adjicerem tedis, suadet id officium.
Suadet amicitia pactum venerabile. Versus
Hosce rudes, ergo, consule, quaeso, boni.
Grator at, euge! Tibi tantis ut honoribus auctus
Hactenus: & jungis fœdere conjugii
Nuptam, quam Virtus & tantæ gloria formæ
Ornat, & ingenuâ cum pietate fides.
Nuptam, quæ nomen præclarâ ab origine ducit,
Strausiadum nempè hæc ANNA MARIA tua:
Hanc Annam esse Tibi, votis peto, MANNA paratum,
ANNA M retrorsum nam lege, MANNA sonat.
MANNA dabat Dominus, vitam viresq, fovebat:
Hac veniente ANNA, fors erit æqua Tibi.
Hæc etenim Te sincerâ dulcedine pascet,
Per cunctos vitæ conjugiiq, dies.


Congratulabundus f.

*M. Johannes Stumpff, Ill. Gymna-
nasia Schleus. Collega.*

Quæ-

Quamnam causa fuit, Tibi quod nec Lipsia, **S P O N S E**
 Virginibus potuitnectere vincula suis?
 Nec, quas Dresda fovet, licuit sic esse beatis?
 Nec, quas Musarum Leucoris alma Parens?
 Scilicet his Aliud Coelum concesserat ortum,
 Quam sub quo vitae coepit origo tuae.
 Hinc nobis aliam, patriam quam ducere Sponsam,
 Ne peregrina Tibi sint toleranda mala.
 Externa Uxor enim pane omnis carpit & odit,
 Indigenis alias quae placuisse solent.
 Unde fluunt lites, alternaq; jurgia lecti,
 Et, cum quo certet, vir sibi semper habet.
 Haec mala fugisti sapienti pectore, Sponse,
 Usus in hoc sano iudicio ante tuo.
 Gratulor ergo Tibi, quod fortunante Jehova
 Felici coeptum sidere cessit opus.
 Et precor, ut vitae vos protulit unus in auras
 Aer, & ut coelum confociavit idem:
 Sic Deus aeterno jungat foedere vestras
 Mentis, atq; tenax unio adusq; liget.
 Unum & idem Vobis sit Cor in corpore bino,
 Sic Torus a Curis Vester inanis erit.

Johannes Martinus Schöber
 LL. Stud. & Not. P. Caf.



Quid loquar aut scribam? Neonymphe, affinis amande,
 Gratantur Tædis carmina plura Tuis.
 Quot caelum stellas, quot celsa Ceraunia RHÖNÆ
 Ostendant Herbas, Tot tibi fausta precor.

Benjamin Schertiger utriq;
 Praefectu. Kalt. & Fischb.
 ab epistolis.

JO(H)AN-

JO(H)ANNES CASPARUS GROSGEBAUER.

ἀνάγγε.

NUBIS CERVA ÆGRA: SURGE ò SPONSA!

*

ANNA MARIA STRAUSIN.

ἀνάγγε.

UNA SANARINT: AMARIS.

Sponsus ad Sponsam.

*

SÆpiùs ex fato, sic directore Jehovâ
Multis pergratum nomen in omen abit.
Omen ò optatum, nullo non tempore gratum!
Gratius in toto quo nihil orbe datur.
Nunc Deus & fortuna favet mihi, lætaq; cuncta,
Incidit in casses Cervæ petita meos.
Ecce quidem per amica mihi jam CERVA, sed ÆGRA
NUBIS: nam langvet pectus amore tuum.
SURGE ò SPONSA! tuum langvorem pectore pelle,
Langvore expulso júbila læta sonant.

Sponsa ad Sponsum,

*


Sit licet, ò mi Sponse meum cor vulnere læsum,
Attamen aptari nunc medicina potest.
Nunc est in Medico Sponso, relevetur ut Ægra;
Nunc floret noster Conjugalis amor.
UNA SANARINT cum Sponsa Sponsum, AMARIS
A Sponsa totus, quod medicina mihi.
Perge in amore tuo, veluti me pergere cernis,
Mutuus & noster sine carebit amor.

Mauricius Alnecker/ Cantor.

Hujus

Hujus Connubium felix expersq; doloris,
Nuptam qui similem jungit amore sibi.
Tu quia moratus, sapiens, clarusq; piusq;
Nunc thalamum curas ipse subire parem.
Indidit ut proprium suavis tibi gratia nomen;
Nominis ejusdem sic tibi Sponsa venit.
Convenit ut nomen, sic sint quoq; consona facta,
Incidat ut vestro nulla querela toro.
Absit ErIs, seD ερωs, VoVeo, Vos Cingat In eVVM
Nec se jucunda dissociet Charites.
Fiat ut hoc faciet Christus qui fautor & autor
Conjugii pellens tristia cuncta procul.

M. Wilhelmus Lippold F.



Sidere felici næ, Vir amplissime, gaudes,
Et sanè ex omni parte beatus agis!
Uni, quem triplici Virtus maectavit Honore,
Uni, quem socius, SPONS E, beavit Amor:
Huic modò Juridicam dederat VViteberga Coronam,
En Spartam, Sponsam Patria ritè dedit.
Trinum perfectum vox est communis: & ut sit
Trina-Monas faxit! faxit & Una-Trias!
Ex altis eadem triplici benedicat Honori,
Quo certè ornavit, se Duce, Trina-Monas!
Ex altis eadem socio benedicat Amori,
Pectora quo feriit, se mediante, Trias!
Det, florescat Honor, dulcescat Amor tria secla!
Sit benedictus Honor! Sit benedictus Amor!

VViteberga F.

M. Johannes Lincf.

C . JOHAN-

JOHANNES CASPARUS GROS-
GEBAUER.

ἀνάγρ.

SPONSA CHARA; SUGGERE BO-
NA, SERVI!

Quod nihil arcani faveat servetq; Cupido,
Sincero at pateant cuncta in amore, liquet:
Testis eris Simson; quid enim bona corporis olim
Donaq; tanta animi cognita fecit? Amor!
Que Themis ac Astræa favens tibi Sponse propinant
Commoda, fac simili sint ratione palam.
Et quoniam tibi CHARA venit jam SPONSA, subinde
SUGGERE promptus ei, quæ-BONA-cunq; petet;
SPONSA tuo contrà fer pignora CHARA marito,
SERVI, SUGGERE ei, quæ-BONA-cunq; potes.
Sic modò susceptum nunquam conscendet Erinnys,
Alma sed excipiet paxq; decusq; thorum.

Honoris ergò animitus
gratulab.

Johan-Georg. Kriegl Schol.
patr. Collega.



Hic Rhodus! hinc salta! nosti dicteria Vatis,
Ergò te præstes, Sponse novelle, Virum.
Quod pietatis opus poscit, nunc vincla paranti
Sint Tibi, sintq; Tuæ vincla secunda, precor.

Jonas J.

JOHAN-

JOHANNES CASPARUS GROSGEBAUER.
ANNA MARIA STRAUSSIN.

κατ' ἀνάγγε.

CHARA VIRAGO, EN RISUS MAGNOS
PARAS: TU VERNAS ANNIS, BEAS.

*

Nunc meritò gaudent Nuptorum corcula bina,
Sidere quod fausto fulserit illa dies.
Hinc est letandum, pellendaq; tristia cuncta;
EN RISUS MAGNOS, CHARA VIRAGO, PARAS:
TU VERNAS ANNIS, constanti vernat amore
Ecce tuum cor: sic me, mea Nympha, BEAS.
Noster amor vegetus maneat, quod faxit Jova,
Ut crescunt anni, sic quoq; crescat amor.

Sic congratulabatur

Rudolphus Schröter Sponsæ Frater.



AD SOROREM.

Conjugiale paras, SOROR ô suavissima, votum:
Sic animi Domino sensa regente tui.
O me si facerent Ars & Natura Poëtam,
Ornarem multis vota sacrata melis!
Vota sacrata meæ cantarem jure Sororis,
Est etenim cordis portio magna mei.
Verum cum vires mihi Musa negaverit istas,
Sincero tantùm pectore fundo preces.
JOVA, precor, thalamum fœcundet, ritè secundet,
Ac illum variis cingat ubiq; bonis:
Autor conjugii cui vincla jugalia curæ,
Hoc nostrum votum pondus habere velit!

Congratulabundus f. VVitebergæ

Hieremias Schröter Sponsæ Frater.

G 2

Ut

UT Tibi, Sponsa Soror, feliciter omnia cedant,
Pectoris exoptant interiora mei.

Leb Schwester/ Braut/ mein Wunsch sol seyn/
Der kömpt aus meines Herken Schrein/
Daz alles glücklich fort woll gahn/
Was mit Gott ist gefangen an.

Jacobus Schröter Spon-
sæ Frater.

~~~~~  
Dum gracili modulor festivum Carmen avenâ,  
Ore fave, atq; acres stimulos sub pectore Apollo  
Verte: Quid? ipse Hymenæe faces quid promere cessas?  
Rumpe moras, cui sunt socialia fœdera curæ,  
Atq; ipse ad thalamum gratantia carmina pange.  
Ergò meæ Musæ tenues in Carmine vires  
Tendite ducentes sacros Hymenæon ad ignes  
Per Clarios agros, & honores pectore & ore  
Gratantes gratos Sponsæ Sponsoq; novello.  
Dic mea Musa V I R O, jam non hinc inde laboro  
Quo tua, Macte animo, sua per fastigia possit  
Percurri ingenii vis atq; Heroica virtus.  
Quicquid enim laudis celebris doctrina meretur,  
Hoc Tibi detrectat veniens Acherontis ab amne  
Livor: non Logicas siquidem modò sedulus artes  
Nosti, verùm etiam cœlum, ductrice Themiste,  
Astrææ tibi complacuit subiisse, sacrarum  
Ut legum haurires volumina, juraq; ferres  
Indereis. Vera hinc surgit tibi gloria mente,  
Hincq; viget meritò laudatum nomen honore.  
I mea Musa refer Sponsæ quoq; stemmate claræ,  
Quòd non illius studeas depingere dotes

Corpo-



Corporis atq; animi, quæ sunt divinitus illi  
Concessæ, siquidem virtus haud ulla negatur  
Ipsi, nec pietas nec summa modestia vultus.  
Utq; nitet tua stella Venus, pulcerrima cœlo,  
Æquoreas undas simulac manè ipsa relinquit:  
Illius facies sic si spectetur honesta,  
Virgineum splendore chorum supereminet omnem.  
Sed libeat sacras Hymenæo carmine tædas  
Jam prosequi, lætoq; novis benedicere plausu  
Nuptis. Ergò Deum, cui sunt socialia curæ  
Vincla & qui thalamum præsentis numine firmat,  
Hunc precor, ut primos Neonymphis sacret honores,  
Illorumq; pios conatus adjuvet, atque  
Det vacuos curis lætis successibus annos.  
Trux thalamo junctos Lis, quæ disjungit amores  
Exulet, atq; loco sinceri regnet amoris  
Ardor, quo quondam flagrârunt Sara Abrahamq;  
Quòq; Rebecca suum pia quondam ambibat Isacum.  
Haud etenim veniunt & Mas & Fœmina in unum  
Fortuitò, sed Jova duos conjunxit amore,  
In Geminis ut sit mens una, caroq; sit una,  
Lætitiæq; comes, fidus comes atque laborum  
Sit Sponsus Sponsæ, sit Sponsa suoq; marito.  
Nam sicut melius veniunt ad aratra juveni  
Juncti, & equis binis levior fit rheda trahenda:  
Sic, licet excipiat miserum quandoq; maritum  
Rebus in adversis ægrescens cura laborq;  
Ipsa tamen multò levior fit sarcina eidem,  
Dum Sociâ haud careat, cum qua sua pondera gesser.  
Talis & en Socius tibi jungitur, ANNA MARIA,  
Qui feret auxilium magnum, medicamen & inter  
Multiplices curas existet mite levamen.

O faustas tædas igitur, Nymphamq; beatam,  
Cui datur in thalamum talis vir, Pronube Christo.  
Hic vos, ut multi fiatis prole parentes  
Fœcundet precor, & distentat tempora vitæ,  
Quò Pylios ambo superetis molliter annos.  
Hic mea Mœnaliis versus contexere Musa  
Desine, &, ut fas est, voto jam divite claude.

Φιλίας ἕνεκα mittit

Johannes Bittorff SS. Theologiae Studiosus.



**P**raelia Martis amet, cui vis angvina furorem  
Cadmeæ segetis suppeditare solet;  
Praelia sed Veneris, fatis melioribus usus,  
Ad gratum sequeris tu, Neonymphe, torum.  
Praelia laudantur, junctis ubi bella labellis  
Fiunt, hostis ubi militat ipsa Venus:  
Sunt ubi castra torus; Bellator, Amator; Ocelli  
Spicula; seva manus, suave cor, arcus, amor:  
Hic si victor abis, meritò fers laudis honorem,  
Sin minus; equa tamen gaudia victus habes.  
Laus eadem remanet, modò si generosior ausu  
Herculeo, repetes bella relicta priùs.  
Sit tua Sponsa Venus: Tu Mavors Sponse: Sit Illa  
Europa similis sub Jove, tuq; Jovi,  
Sic jucunda tibi circum tua tecta resurgens  
Conjux frugiferi palmitis instar erit.  
Sic numerosa domum proles stipabit, & orbem  
Mensa circundans leta propago tua.  
Faxit id Omnipotens, jubeat solemnia Sponsis  
Gaudia perpetuo flore vigere novis.

Gratulabundus adjecit VViteberge

Georgius Eberhard.

ἔτεο-

ἑτεομνηνημερόσιχόνδ

**S**Ponse, sVb AVgVsto Sponsâ sI proDeat Infans  
Mense, Vlr, & Pater es sat benè, satqVè Cltò.

Jenâ transmifs.

à Georgio Christophoro Gramano,  
Artis medicae & Spagir. St.



ἑπίσαγμα

Carminum, quae Typographo seriùs, ubi cetera jam exscripta  
typis, reddita fuerunt.

**Q**Vàm bona sit Domini clementia, quamq<sub>3</sub> s<sup>v</sup>avis,  
His quibus est cordi cum pietate fides:

Sufficiens in Te, PRÆFECTE, videre licebit

Exemplum, & nobis testis hic annus erit.

Nam qui constituit Reges, Supremus J O V A

Principiò T H E M A R Æ sceptrâ regenda dedit,

Scilicet ut justum tribuas Jus omnibus aequè,

Regula ceu Juris sic Ultriusq<sub>3</sub> docet.

Prospicit hinc porrò de Conjuge, Virgine castâ,

Virgine formosâ, virgine divite opum,

Et quae praeterea tantis genitoribus orta est,

Ut, benè qui nôrint, perpete laude vehant.

Felix, ô felix, totoq<sub>3</sub> ex asse beatus,

Qui simul à Domino munera tanta capis!

Gratulor illa tibi gratissima munera SPONSE,

Ex animo supplex talia vota ferens,

Illis ut salvus per secula longa fruaris,

Nec turbet vestrum mœsta querela torum.

M. Balth. Schott.

ACROSTI.

ACROSTICHIS,

Voto constans, & allusio ad cognomen Clarissimi, Excellentissimiq; Viri-Juvenis  
Dn. JOHANNIS CASPARIS GROSGEBAUERL,  
Utriusq; Juris Licentiat, Præfæcti Themarensium  
dignissimi, fidelissimiq; nunc temp.  
Sponsi.

Jam quoq; victus abit JANUS CASPARUS amore,  
O ptata ac ipsi hæc ANNA MARIA datur,  
ANNA MARIA virum Großgbauern amore sequetur,  
N omen qui magnæ rusticitatis habet:  
Nec tamen ex ipso fulget quid rusticitatis,  
E micat ast virtus, splendor, & omne decus:  
Suscipit officium Præfæcti pectore forti

Curarum plenum, grande laboris onus;  
A spera sed cum sit res, solum ducere vitam,  
Suscipit hanc sociam, prospiciente Deo,  
P ars animi quæ sit conjux dehinc ANNA MARIA,  
Atq; laboris amans, fida marita viro:  
R estat ut & tædis nunc vestris gratuler ipse  
Groszbauer, cœptis optima quæq; precans.

χρονολογικὴν.

Vt CLarè oCtobris SoL qVina LVCe refVLsIt,  
En præstò est Sponso hæc ANNA MARIA sVo.

Honoris, amoris & gratitudinis ergo

M. Johannes Ottho Exdorfen  
& Obendorfen. Pastor, co  
ter apponeb.

F I N I S.



119





Kapsel

78 M 434

[ 16 ]

ULB Halle

3

006 546 021




1017









EPITHALAMIA  
*Consultissimo*  
Dn. L.

JOHANNI CASPARO  
Großgebauer Præfect. Themar.

ET  
*Pudicissima Virgini*  
ANNÆ MARIÆ Strauffin/  
*Consecrata*  
à  
Cognatis, amicis & fautoribus,  
*d. 5. Octobr. Anno 1629.*

---

SCHLEUSINGÆ  
Excusa à Thoma Marckart.

13

